



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

**Agobardus <Lugdunensis>**

**Parisiis, 1666**

Epistola ad Ebbonem Episcopum Remensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14657**

AGOBARDI EPISTOLA  
ad Ebbonem Episcopum Remensem,  
De spe & timore.

**M**agnificentissimo ac desiderantissimo Domino Patri & Fratri Ebboni Ecclesie Remorum Episcopo Agobardus in Domino Deo æternam salutem. Cum quadam die valde diligenda, honoranda, atque laudanda devotio tua præcipuè mihi (cui gratis, id est, absque merito, sola tua te benignitate instigante, piam amicitiam impendis) & manibus gestaret & ore proferret ea quæ ad ædificationem bonarum mentium pertinent, cognoverunt qui præsentibus aderant sollertissimam intentionem tuam velle secum semper habere de scripturis divinis aliqua, in quibus non solum in equum ascendens, sed etiam de equo descendens, pro locis & temporibus congruæ quantitatis secundum beatum virum, *qui non abiit in consilio impiorum*, in lege Domini meditareris die ac nocte; quatinus verè esse possis tanquam lignum juxta fluentia Scripturarum plantatum, cujus omnia prosperantur quæ facit. & quæ facit: utique poma & folia, quæ intelliguntur facta & dicta; ut poma sint in actibus, folia in verbis. cujus ligni folium non defluit: quia (secundum quod scriptum est de Samuële, *Non cadit de omnibus sermonibus ejus in terra.*) curat sollicitè, ne quid frivolum vel inane proferat, quod oblivione potius quam memoria dignum

*Psal. 1.*

*1. Reg. 31*

Sic enim Apostolus unanimem comitem  
 instruit, dicens: *Ineptas autem & aniles fabulas* 1. Timot. 4.  
*devita. & iterum præcipit denunciare quibus-*  
*dam, ne intendant fabulis & genealogiis intermi-* 1. Timot. 1.  
*natis, qua questiones præstant magis quàm adifi-*  
*cationem qua est in fide. Et iterum: Prophana au-* 2. Timot. 2.  
*tem & inaniloquia devita. Multum enim pro-*  
*ficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer*  
*serpit. Igitur Deo devota & fidelis sanctitas tua*  
*cùm mihi dignaretur talia pandere, suggestum*  
*est à me ut in primis juberet tibi scribere in eo-*  
*dè quod gestabas Enchiridion de divinis libris*  
*arduas & difficiles sententias ad observandum,*  
*quæ præcipuæ sunt ad deprimendas per timo-*  
*rem mentes hominum, ne elevari possint in va-*  
*nam præsumptionem; & his diu diligentèrque*  
*perspectis, juberet demum talia quæ videren-*  
*tur congrua, proprio inferere manuali. Cùm-*  
*que hæc ego suggestissem, dignatus es præcipe-*  
*re, ut ego inchoarem sicut mihi videbatur, &*  
*sanctitati tuæ dijudicanda transmitterem. Om-* 2. Timot. 5.  
*nis itaque Scriptura divinitus, ut ait Apostolus,*  
*inspirata, utilis est ad docendum, ad corripien-*  
*dum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit*  
*homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Quæ*  
*Scriptura, tantæ perpetuitatis est, ut auctor*  
*illius, sempiterna Veritas, Verbum & Sapien-*  
*tia Patris, Dominus & Redemptor noster te-*  
*stetur de illa, dicens: Facilius est cælum & ter-* Matth. 5.  
*ram transire, quàm de lege unum apicem cade-*  
*re. Et iterum: Cælum & terra transibunt, verba*  
*verò mea non transient. Cùmque hæc perennia*  
*verba, plena sint regulis morum, ac disciplina-*  
*rum, atque virtutum, operis, & fidei, inter*

cetera extant duæ res penitus necessariæ moderationi mentium humanarum, id est, spes & timor, de quibus sacerdotibus & omnium plebium doctoribus Dominus mysticè per legem præcipit dicens: *Non auferes loco pignoris superiorem & inferiorem molam.* Quæ molæ licet utrumque testamentum rectè figurare possint, intelliguntur tamen utiliter spes & timor; ut inferior dicatur timor, superior spes. Cui autem una defuerit, farinam facere non potest: quia in mente sua nihil sanum pertractare potest, quem aut timor sine spe premit, aut spes sine timore levat. Vnde Psalmista in utrumque conjungens dicit: *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus.* Iudas denique proditor, post dominicam traditionem, quia sine spe timuit, dicens, *Peccavi tradens sanguinem justum,* ideo abiens laqueo se suspendit, & crepuit mediis, atque effusa sunt viscera ejus. E contrario autem, quia sine timore sola spe elevabantur illi qui Domino respondebant *Semen Abraham sumus, & nemini servivimus unquam,* dignati sunt credere in Salvatorem, quia præsumebant non se esse salvandos, sed salvatos. cujus rei exemplis tota est plena Scriptura divina. Semper autem necesse est ut hæc duæ molæ fidelium mentibus incessanter adsint; ut quia spes animum semper erigit, metus autem premit, & metus spem & spes temperet metum; ac ne spes in superbiam erigat, metus continuo adjacens mentem premat; rursus, ne immoderatus metus animum in desperationem obruat, hunc confestim spes erigat.

Deuter. 24.

Psal. 146.

Matth. 27.  
Act. 1.

Ioan. 8.

Metus namque, si sine spe fuerit, desperatio re-  
ctius vocatur. Spes verò, si fuerit sine metu,  
vana præsumptio esse monstratur. Tali namque  
temperamento, quasi quodam antidoto, vult  
nos cœlestis medicus uti; utpote qui solus est  
scrutator & cognitor internarum infirmitatum,  
cui dicitur, *Tu solus nosti corda filiorum homi-*  
*num.* Quisque dicit: *Ego sum scrutans renes &*  
*corda.* cujus sermo est vivus & efficax, & pe-  
netrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens  
usque ad divisionem animæ ac spiritus, compa-  
gum quoque ac medullarum, & est discretor  
cogitationum & intentionum cordis; sciens  
mentem humanam his duabus virtutibus in me-  
ditullio stabiliter posse servari. Cùm hæc ergo  
ita sint, visum mihi est ut primùm de illis sen-  
tentiis quæ ad inferiorem molam pertinent, id  
est, ad ineffabilem terrorem mentium, quo-  
niam sunt nimis arduæ, aliqua describam; ut  
quia præceptum nobis est ut cum timore & tre-  
more nostram ipsorum salutem operemur, &  
omnes fideles salutem desiderant, priùs illa  
cum quibus salus operatur, id est, timor & tre-  
mor, in studiis nostris fundentur; ut superpo-  
nenda, quia faciliora sunt, istarum impulsione  
necessariò requirantur. Nam & naturale est ani-  
mæ humanæ, ut timorem non sine quadam mo-  
lestia tolerans, rursus sponte ad spem recurre-  
re festinet, quæ lætior putatur; quanquam  
timor non sit minùs necessarius & utilis. Quia  
igitur si de omnibus divinis libris hujusmo-  
di sententias excerpimus, nimis prolixum  
opus efficitur, illas nunc nobis assumere suffi-  
ciat quæ in promptu habentur, & magis in

3. Reg. 8.

Apoc. 2.

Hebr. 4.

Philipp. 2.

80 S. AGOBARDI LIBER  
usu; maximè quia & vos tale fieri iussistis opus,  
quod paulisper manu gestetur, non quod in ar-  
mario vel in scrinio reservetur. Hæc mihi igi-  
tur inchoanti obtulit se prima illa sententia  
septimi psalmi, quam cantamus, dicentes:  
*Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas  
in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi  
malum, decidam merito ab inimicis meis inanis.  
Persequatur inimicus meus animam meam, &  
comprehendat & conculcet in terra vitam meam,  
& gloriam meam in pulverem deducat.*

Multa defunt.

---

AGOBARDI LIBER  
*De divina psalmodia.*

**Q**UIA nuper stultus & improbus, ipsa-  
que stultitia & improbitate sua omnibus  
notus calumniator erupit, qui sanctam Eccle-  
siam nostram, id est, Lugdunensem, non so-  
lum verbo, sed etiam scriptis lacerare non ces-  
sat, quasi non rectè, nec more paterno sive usu,  
divinæ decantationis sollempnia peragentem, ne-  
cessè fuit omnem sacrorum officiorum seriem,  
quæ solito cantorum ministerio per totum anni  
circulum in ecclesiasticis conventibus exhibe-  
tur, sicut in eadem Ecclesia favente Dei gratia  
custoditur, diligentius & plenius in libello  
quem usitato vocabulo Antiphonarium nun-  
cupant, colligere, atque digerere; præmissa  
scilicet præfatione pij & orthodoxi patris, cu-  
jus probatissima fides atque doctrina in munere  
Domini Dei nostri omnibus examinata ac de-  
clarata